

Ill/me et R/me Domine.

Assidua litis molestia, quam plures mihi hic typographi de avito sacros Romani usus libros cudendi privilegio moverunt, et à qua tandem Ser/morum Belgicae Principum privilegium à se datum confirmantium auctoritas liberavit, hactenus scribendi munus mihi impedivit. Interea Andreae Brugiotti bibliopolae opera liberius usus sum, qui meo nomine Ill/mae D.V. nonnullas typographiae meae fruges cum debito obsequio et cultu offerret. De officio Principis christiani librorum exempla una cum duplici Breviario extenso, et Manuali Exorcismorum, Ill/mam D.V. recte accepisse laetus intellexi. Spero postmodum De arte moriendi bina exempla, eodem Andrea Brugiotti redente, pariter recepisse; una cum Annalibus sacris Tornielli, P.Lessii De perfectionibus divinis Libris XIV, P.Thomae a Jesu De contemplatione divina Libris sex, R/mi nostri Malderi Anti-synodicus, Hypocrisi Ant.de Dominis a Fideli Annoso detecta, et P.Hermanni Hugonis De fide capessenda pro P.Lessio Libris Apologeticis. Quaeso Ill^{am} G.V. haec qualiacumque affectus et cultus mei testimonia boni consulere, et me ut solet amare ne gravetur. Antverpiae, in officina Plantiniana, Prid.Idus Septemb.1620.

Ill/mae G.V.

humillimus cliens

Balthasar Moretus

Adr: Ill/mo et R/mo in Christo Patri ac Domino D. Rob.Bellarmino

S.R.E.Cardinali

Romam (cachet)

- Arch.Vat.Mss.Gesuiti 18 fol.29. Orig.

- Anvers. Musée Plantin. Lettres 1620-28, f.4=5.

12 Sept. 1620 Bellarm. ad Archidiacon. C. Braccini

cf 25 Jan 1611, 17 Sept. 1611, 14 Mart. 1614; 12 Sept. 1620
notitia Episcopi Montepulciano